



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

De Majori-monasterio & Abbatibus ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

& quamplures inturim conesserunt peregrè. Et illa nocte veniente die Lunæ veniente valde serenum erat. Et ferè circa medietatem noctis apparuit quod cœlum aperuisset, & pulcram flammam fecit.

Anno Domini M C X I I I. Indictione prima, una die pase, quæ fuit secunda die intrante mense Iunij, venerunt Cremonenses cum caroçolo supra terram Cremæ, & Mediolanenses venerunt cum suo caroçola & cum bruira, & magnam pugnam fecerunt insimul, & Cremonenses expulserunt Mediolanenses de campo, & tulerunt eis caroçolum & buiram & xxxvi. confanones, & magnam copiam fecerunt de populo Mediolanensium.

M C C X X I V. die II. intrante Iulio, cùm Mediolanenses ivissent in comitatu Cremonensium, die tertio erant apud Covenoltam sive in loco ubi dicitur prato de bisso. Ibi Cremonenses cum sua societate pugnaverunt cum Mediolanensibus & Bresanis, ita quod Cremonenses meliorem partem obtinuerunt.

M C C X X V I I. una die Veneris, quarta exeuntis Novembris, apud Curtisnovam Dominus Imperator cum militia Papiensium & Pergamensium & cum aliis suis militibus pugnaverunt cum Mediolanensibus & cum illis de eorum societate. Et Mediolanenses ibi amiserunt caroçolum suum, & innumerabiles fuerunt ibi mortui & capti. Et ipso die captum fuit castrum Curtisnovæ. Et ultima die ipsius mensis captum fuit per Bergamenses castrum Paluscis.

### *De Majori-monaſterio & Abbatibus ejus.*

**P**RIMUS Abbas Majoris-monaſterij post sanctum Martinum fuit Gaubertus, qui constitutus est ab eo, & multi alij post ipsum usque ad adventum Normanniorum. Tunc desolata Ecclesia, Canonici

sancti Martini de novo castello miserunt ibi conven-  
tum Clericorum. Postea Hugo Capet Rex Franco-  
rum dedit illam Ecclesiam Odoni Comiti Turonensi,  
qui misit Cluniacum, & adduxit inde Guislebertum  
cum duodecim aliis monachis anno ab incarnatione  
Dominii millesimo. Hunc Guislebertum idem Co-  
mes fecit Abbatem ejusdem loci anno millesimo  
quarto. Quod & sanctus Majolus Abbas Clunia-  
ensis concessit, cum Majus-monasterium per qua-  
tuor annos fuisset cella Cluniaci. Huic Odoni suc-  
cessit alias Odo filius ejus, pater Comitis Tebaldi;  
qui ambo jacent in capitulo Majoris-monasterij.  
Secundus Abbas post Guislebertum fuit Sichardus,  
tertius Gaubertus, quartus Albertus, quintus Bar-  
tholomaeus, sextus Bernardus, septimus Hilgotus  
antea Episcopus Sueffionensis, octavus Vvillelmus,  
nonus Odo, decimus Garnerius, undecimus Ro-  
bertus.

## CHRONICON BREVE

*Monasterij Canigonensis in diœcesi Helenensi.*

**A**nno Domini millesimo primo, æra mxxxix.  
anno vi. Rodberti Regis, Indictione x i v.  
Guifredus Comes cœpit ædificare monasterium  
sancti Martini Canigonensis.

Anno Domini mxiv. electus fuit in primum Abba-  
tem Selva monachus sancti Michaëlis Coxanensis.  
Eodem anno delate fuerunt reliquiae sancti Gaudie-  
ti Confessoris è finibus Tolosæ.

Anno Domini m x x v i. consecrata fuit ejus Ec-  
clesia.

Anno Domini mxxxvi. Guifredus Comes mona-  
chus efficitur.